ASCONII PEDIANI LOCUS CORRECTUS.

Legitur apud Asconium Pedianum in Milonianam pag. 39, 15. Orell.: „*Perlata deinde lege Pompeii, in qua id quoque scriptum erat, ut quaestor suffragio populi ex iis qui consules fuerant crearetur, statim comitia* habuit *creatusque erat L. Domitius Aënobarbus quaestor.* Aliorum *quoque iudicum, qui de ea re iudicarent, Pompeius* tales *proposuit, ut numquam neque clariores viros neque sanctiores propositos esse constaret.*" In his primum offendit *comitia habuit*, quae de quo dicantur non satis apparet, nam in iis quae proxime praecedunt de Cicerone agitur. Nullo negotio tolli potest ea molestia et vera lectio reperiri quae haec est: *Perlata deinde lege Pompeii — statim comitia* HABITA *creatusque erat L. Domitius Aënobarbus quaestor.*

Peius corrupta sunt quae statim sequuntur: *Aliorum quoque iudicum — Pompeius tales proposuit.* Sensu vacua et absurda haec quidem sunt. Vitii sedes est in *Aliorum*, in quo quid lateat colliges ex his locis apud Suetonium in Tiberio cap. 51: „*Instanti saepius* (Liviae) *ut civitate donatum in decurias* (iudicum) *allegeret negavit alia se conditione allecturum quam si pateretur adscribi albo* extortum id sibi a matre." et in Claudio cap. 16. „*Splendidum virum Graeciaeque provinciae principem, verum Latini sermonis ignarum, non modo albo iudicum erasit sed etiam in peregrinitatem redegit.*" Viden Asconium sic scripsisse: ALBUM *quoque iudicum, qui de ea re iudicarent, Pompeius* TALE *proposuit ut numquam neque clariores viros neque sanctiores propositos esse constaret.*

Utrum veteris scribae errore an Poggii festinanter describentis vitio ALBUM in ALIORUM abierit, scire nil refert: hoc certe perspicuum est illo errore commisso TALE quoque in TALES esse refictum. Scripsisse Asconium ALBUM IUDICUM argumento esse potest etiam verbum PROPOSUIT, quod est in ea re proprium, ut apud Ciceronem de Oratore II. 12: *Pontifex Maximus res omnes singulorum annorum mandabat litteris referebatque in album et proponebat tabulam domi.*

C. G. COBET.